



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

Quæ sint habenda pro bonis operibus 18

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

## Nona Accusatio.

## De bonis Operibus.

## CAPVT XVII.



PRIMA reprehensio Aduersariorum in hoc Articulo hæc est: Librum Reformationis docere, illa sola esse bona opera, quæ in decalogo mandata sunt, quodque de reliquis omnibus operibus scriptum sit, *Frustra me colunt mandatis hominum*: Et quod contra talia agitur, non esse peccatum.

## Responsio ad primam partem.

*Quanam habenda sint bona Opera.*

## CAP. XVIII.



DE loco rursus notetur istorum hominum improbitas. Liber Reformationis proponit quæstiones aliquot de Bonis Operibus, quarum prima est, Quanam opera facienda sint? Item, Quanam bona opera & docenda & facienda sint? Ad quam quæstionem ita respondet, Quæ Deus ipse in præceptis Decalogi præcepit, & quæ in his iuxta interpretationem Christi & Apostolorum continentur. Nam hoc imprimis cauendum, ut ne cultus Dei, & opera sine verbo excogitemus, Ideo & Christus inquit Matth. 15. *Frustra colunt me mandatis hominum.*

Contra hanc doctrinam Aduersarij geminam improbitatem admittunt, Prima est, quod ex Libro Reformationis non plura quam hæc verba adducunt, Quæ Deus in decalogo præcepit, omittunt autem quod in Libro sequitur, & hæc præcedentia verba declarat, nempe (Et quæ in his iuxta interpretationem Christi & Apostolorum continentur) Quæ appendice omnia bona opera, quæ vnquam ab homine fieri possunt, comprehenduntur. Altera hæc est. In libro ponitur: Cauendū esse, ut ne cultus Dei & opera sine verbo excogitemus. Idcirco dicere Christum, *Frustra colunt me mandatis hominum.* Et hoc Christi dictum adducit liber, de iis tantum operibus & cultibus Dei, quos homines ex suo ingenio excogitant, sine verbo Dei. Aduersarij verò dicunt, id citari à Libro de reliquis omnibus operibus, quæ in decalogo expressè mandata non sunt. Et postea (Mandari in decem præceptis) ad ea tantum opera referunt, quæ in decalogo præceptorum sunt disertè mandata & expressa. Annexam enim in Libro declarationem omittunt, quæ est (Et quæ in his iuxta interpretationem Christi & Apostolorum continentur. An verò pios Clericos decet, Christianæ & S. Scripturæ quæ maxime consentanea Archiepiscopi sui verbo tam apertè decurbare & peruertere?)

Cæterum veritas Christi & defensio Libri in hac parte sic se habet.

Decem præcepta iuxta interpretationem Christi, Matth. 5. & Pauli Rom. 7. & 10. 1. Tim. 1. & 1. Ioa. 3. & Heb. 4. omnia bona quæ homo vel cogitare, taceo re ipsa perficere potest, in se comprehendunt. Complectuntur enim veram ac plenam fidem, firmam ac solidam



spem in Deum, & ardentem amorem erga eum, nempe ex toto corde tota anima, totisque viribus; & dilectionem proximi, sicut sui ipsius. Idque hoc modo, vt homini nihil allubear, quam Deum in omnibus dictis & factis celebrandi, magnificandi, cum omnimoda proximi ædificatione.

Vbi enim Dominus in principio statim decalogi dicit, Ego Dominus sum Deus tuus, hoc est Creator, gubernator, & æternus tam corporis quam animæ Saluator, simulque requirit, vt hoc ei credamus, ipsumque pro Deo & Seruatore nostro agnoscamus, amemus, eique ex toto corde seruiamus, quid posset homini, qui tantummodo hoc primum verbum plenè seruare posset, bonorum operum aut virtutum incidere, & in verbo Dei proponi & commendari, quibus non summa diligentia summoque studio esset incubiturus? Talis enim nihil omnino lublimius desiderare ac quærere, nulli rei diligentiùs incumbere posset, quam quo pacto Deum Creatorè ac Seruatorem suum semper magis sanctificare & celebrare, regnumque eius amplificare, & longè lateque prouehere posset. Quare nullum bonum, Deoque gratum & acceptum opus fingi aut excogitari potest, cui talis ex obedientia deesse præceptorum, non esset ardentissimo studio incubiturus, iuxta vocationem ac placitum Dei.

Eodem modo iuxta interpretationem Christi & Apostolorum in præcepto contra abusum nominis diuini, omnia ea præcipiuntur, quæ ad sanctificationem nominis diuini conducunt: sicut è contra prohibentur quæcunque ad prophanationem nominis diuini, siue à nobis cogitentur, siue dicantur, siue re ipsa perficiantur. Sic in præcepto de sabbatho præcipitur, quicquid eo conferre potest, vt & apud nos & apud alios cognitio Dei, vera eius inuocatio, omnis generis exercitia pietatis, & salutifera quies in Deo, omnibus modis prouehatur: & quicquid ei obstare & impedimento esse potest, amoueatur. In præcepto de honorandis parentibus, quicquid ad veram reuerentiam, & obedientiam præstandam omnibus, qui nobis præpositi sunt: omnimodam quoque suppressionem innatæ nobis superbix, qua fit, vt nemini ex animo subiecti esse & obedire possimus. In quatuor sequentibus præceptis includitur, quicquid aliquid momenti adferre potest ad plenam extirpationem in nobis omnis iræ & inuidiæ, omnis inmodestiæ, & inordinatarum voluptatum: omnis auaritiæ, ac fraudationis proximi: omnis contemptus, & læsionis honorum atque existimationis proximi nostri: contra verò ad propagationem omnis mansuetudinis, omnis beneuolentiæ & beneficiæ, omnis modestiæ ac temperantiæ in vsu præsentis vitæ, omnis benignitatis & liberalitatis in iuuando proximo temporalibus bonis: omnis custodiæ ac defensionis famæ proximi nostri. In duobus postremis de Non concupiscendo, continetur quicquid ad plenam veteris Adami exuiriõnem & exinanitionem: noui verò induitionem sequiritur, & vtile esse potest: nempe, Quicquid in nobis mortificationem prauæ concupiscentiæ, corroborationem verò bonæ concupiscentiæ ad omnè voluntatè ac placitum Dei promouere potest.

Cùm



Cum igitur hæc omnia in decem præceptis, iuxta interpretationem Domini nostri Iesu Christi, & Apostolorum contineantur, quid boni operis excogitari à quoquam poterit, quod non sit in præceptis de calogi comprehensum? Aduersarij citant hoc loco cælibem vitam propter regnum cælorum, Ieiunium, separatam ab hominum conuersatione Monasticam vitam, Oblationes, Templorum extructiones, & ornatus, &c.

Verum S. scriptura testatur, & fatentur omnes S. Patres, hanc abstinentiam à matrimonio & cibis, omnia corporalia seruitia & opera, quæ ad castigationem carnis adhibentur, Deo non placere, nec cultus Dei esse posse: nisi ex vera fide in Christum, & ad efficacem omnis pietatis promotionem adhibeantur.

Quare si quis hoc donum habet à Domino, vt extra coniugium Domino ad propagationem regni eius melius inferuire, & in genere vitæ nomen Dei magis sanctificare, Deo magis adhærere, vitamque magis cœlestem degere possit, tali homini Abstinentia à coniugio iam est in principio decem præceptorum comprehensa, *Ego Dominus sum Deus tuus*, Et in mandato, de sanctificatione nominis diuini: nec non in præcepto de sanctificando sabbatho, & de Concupiscentia. Similis est ratio Ieiunij, & aliorum operum omnium, quæ commemorata sunt, quando piè & instituuntur, & perficiuntur, hoc est, ad gloriam Dei & propagationem veræ pietatis.

Si verò in hunc finem nec instituuntur, nec faciunt, testatur Dominus ipse Esa. i. & 58 Ierem. 7. & aliis plerisque locis, *se nec velle nec posse perferre eiusmodi cultus, se nunquam eos postulasse, aut à cuiusquam manu requisuisse: sed eos esse sibi oneri & abominationi*, &c. Legat pius Christianus, ac diligenter perpendat solummodo primum caput Esaia, & videat quid Dominus de omnibus cultibus & exercitiis Ecclesiæ, tam grauibus ac feris verbis testetur, etiam iis, quos ille ipse præcepit, quando non vera fide, & obedientia omnium mandatorum Dei usurpantur.

Aduersarij adducunt hoc loco plurima dicta de vita Cælibe, quod eò conducatur, vt homo Christo Iesu magis adhærere, eique sine omni impedimento seruiat. Desertionis quoque omnium temporalium bonorum meminerunt, ac prædicant separatam Monachorum & Eremitarum vitam ab omnibus carnalibus negotiis & cupiditatibus. Verum diligenter apud se in omnes partes circumspiciant, quàm multa veræ castitatis & desertionis carnalium cupiditatum & negotiorum huius mundi, inter & apud se demonstrare possint. Etenim à coniugio abstinere, sacerdotes ac Monachos vocari, eiusque aliquot signa in cucullis, & rasa capita gestare: atque id ob eam causam, vt multis præbendis, & optimis monasteriorum bonis perfrui possint, ac deinde castitatem obseruent, quemadmodum apud Aduersarios fieri solet, horrenda sanè abominatio est in conspectu Dei, & nisi breui corrigatur, horribilem Germaniæ deuastationem adferet. Deus enim Deus veritatis est, ac zelotes, qui sibi illud non patitur. Allegant etiam hoc loco iuuenem illum diuitem, qui coram Domino gloriabatur, *se decem præcepta obseruasse: cum au-*



tem responderet ei Dominus, *unum adhuc illi deesse, debere eum abire, & vendere omnia quæ haberet, & sequi se, tristis à Domino discedebat, atque eo tempore in regnum Dei, hoc est in veram communionem & obedientiam Christi venire non poterat*, Matth. 19. & Marc. 10. Et inde volunt concludere. Possit ei, qui decem præcepta adimpleuit, aliqua adhuc bona opera deesse. Necessè igitur esse, ut non ea tantum bona opera sint, quæ in Decalogo sunt præcepta.

Hoc argumentum firmiter quidem concluderet contra librum, si Dominus huic adolescenti concessisset, quòd, quemadmodum de seipso gloriabatur, decem præcepta obseruasset. Cæterùm Dominus id non fecit, sed iubendo eum vendere omnia quæ possidebat, conuicit illum adhuc longissimè à decem præceptorum omniumque quæ in ipsis continentur, adimpletione abesse. Si enim omnem malam concupiscentiam, quam diuinum præceptum prohibet, superauisset, Deum ex toto corde dilexisset, omnemque fiduciam suam in eum, non in facultates collocasset, ut primum præceptum requirit, sine dubio boni magistri consilium, quem ille ipse his verbis alloquendo, *Bone magister, diuinum magistrum agnoscebat, libenter secutus fuisset, & thesaurum repositum in cælis longè maioris fecisset, quàm omnes facultates & possessiones suas. Iam verò quoniam discedebat à Domino tristis, deserabat bonum Magistrum, unà cum thesauro in cælis, præferbat temporalia sua bona Deo & regno eius, ideo non poterat hoc tempore intrare ad vitam. Quare nec decem præcepta, præcipuè verò iuxta interpretationem Christi & Apostolorum, tunc temporis obseruauit.*

Quod verò Aduersarij inter bona opera in decalogo præceptorum non expressa audent connumerare Accensionem cereorum, & pro ea citare auctoritatem D. Hieronymi, ex eo apparet, quantoperè & de Deo, & de bonis operibus quærant. Quod autem Deus & opera reiiciat, magisque contemptum sui quàm cultum ducat, quibus ei homines seruire volunt ex proprio consilio, sine certo eius mandato, id clarè testatur dictum Christi & Esaiæ prophætæ, *Frustrà me colunt mandatis hominum. Quæ enim mandata purè humana sunt, & non ex præceptis Dei deducta, in iis que comprehensa, ea etiam nihil boni præcipere possunt. Nam, ut dictum est, In mandatis Dei omne bonum continetur. Hinc est quod Dominus præcipit, Deut. 3. & 123. *Ut præceptis suis nihil neque addatur, neque adimatur. Et, ne quemadmodum Gentiles idola sua colebant, sic & Deo cultus præstetur, sed tantummodo sicut ipse præceperat.**

Quoniam verò non omnia bona opera sunt in verbo Dei nominatim expressa, sicut Opus vntionis Domino precioso vnguento, bonum opus sibi præstitum à Domino ipso prædicatū est, & tamen Mariæ nominatim à Deo non fuerat præceptum, ut tam pretiosum vnguentum super Dominum effunderet: & in eiusmodi operibus hæc est tenenda regula, ut omnia talia opera sint opera dilectionis Dei & proximi.

Iam verò interdiu, cum Deus lumen solis sui nobis illucescere finit, multos cereos accendere, opus dilectionis proximi esse non potest. Plurimi enim sunt, qui ad sustentationem corporis sui hoc sumptu e-

gent.



gent. Quare qui proximum suum deligit, sicut seipsum, is perinde pecuniam suam in comburendis cereis clara die, consumere vitabit, atque interim pati, ut proximus suus defectum cibi ac potus, vestium, aliarumque rerum necessariorum laboret, atque egrè esset laturus, si tale quid ab alio sibi contingeret.

Clementis. Deus vult, ut nostrum erga ipsum amorem in dilectione proximi declarem. Quapropter *tota legis adimpletio in dilectione proximi perficitur.* Rom. 13. Galat. 5. Quamobrem in omnibus operibus quæ non sunt nominatim in scripturis expressa & tradita, eò semper respiciendum est, quid vnumquodque opus proximo prodesse possit ad gloriam Dei. Erat sanè magnum decus, & præclara res, posse ex singulari dono spiritus S. mysteria Dei in Ecclesia variis linguis proferre: tamen volebat Paulus, ut hoc opus non tantum interpretationi & intelligibili Prophetiæ postponeretur, verum etiam in Ecclesia penitus intermitteretur, si nemo esset, qui id explicaret. Quamobrem id vero? Quia sine interpretatione, ut inquit Apostolus, neminem ædificat: interpretatio verò & Prophetia nunquam non ædificat, 1. Cor. 14. Hoc modo in omnibus operibus iuxta verbum Dei ad ædificationem & utilitatem proximi respiciendum est, in fide & omni pietate: omnia etiam opera iuxta canonem verbi Dei bona aut mala, meliora aut deteriora iudicanda.

Ex hoc fundamento scripturæ & mandatorum Dei probat etiam D. Ambrosius, rectè ac piè factum esse, quod ipse & D. Laurentius, quem pro exemplo inducit, fecerunt, nempe quod vasa mystica & ornamenta sacramentorum confregerant, vendiderant, & in vsum ac necessitatem egenorum elargiti erant, ad redimendos captiuos, & inopum penuriam sustentandam, &c. quòdque is qui necessariam egenis alimoniam non subministrat, sed fame eos emori patitur, cum possit aureis & argenteis vasis ipsorum necessitatibus subuenire, & se excusare & defendere non possit, quod timuerit ne templo Dei ornatus deesset, Deum contrà responsurum, Aurum sacramenta non querunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur, &c. De pauperibus verò dicturum Dominum, *Quicquid his boni fecistis, mihi fecistis*, &c. Lib. offic. 2. cap. 28.

Hic vides duas causas, propter quas D. Ambrosius cibare egenos, redimere captiuos, omnibus & templorum & sacramentorum corporalibus ornamentis anteposuerit. Vna est, quod Deus in verbo suo requirit, ut subueniamus pauperibus, & est opus charitatis. Altera, quod Templorum & sacramentorum ornamenta, neque à Deo requiruntur, neque charitatis opera sunt, præsertim vbi homines adhuc necessitate premuntur. Vbi enim nulla singularis est pauperum necessitas, diuitesque & opulenti homines Tēpla vel de integro extruere vel ornare volūt, modò id fiat ad rectā dispensationē verbi diuini & sacramentorū, id sanè melius est, ut D. Hieronymus ad Demetriū scribit, quā repositis incubare opib<sup>o</sup>. In eiusmodi enim casu Tēpla ædificare, & ornare, est op<sup>o</sup> dilectionis Dei & proximi: in eo præsertim cum id eò confert, ut sacri conuentus & exercitia religionis, quæ in Templis administrantur, recentioribus adhuc & minùs exercitatis, magisque carnalibus Christianis, maiorem auctoritatem & grauitatem præ se ferant, magisque ac magis arrideant.



Verum cum proximi nostri adhuc defectum patiuntur eorum quae Deus illis subministrare expressè mandavit, charitasque & dilectio eorum propriè requirit, tunc certè omnis templorum extructio & ornatus & quicquid proximo non tam necessarium est, quàm cibus & potus, vestimenta, hospitium, doctrina, disciplina, gubernatio, & alia idgenus plurima, in tali casu his manifestis operibus charitatis postponi debet. Sic enim quilibet erga se fieri vellet, omnèsq; parentes erga liberos suos, quos verè diligunt, faciunt: & vicissim liberi erga parentes suos, aliosque egenos facere debent. Quòd si contrarium facerent, in idem illud vitium incurrerent, propter quod Dominus Iudæos reprehendit, Matth. 15. quòd est, *Mandatum Dei transgredi propter traditiones hominũ*, Et dictum illud Esaiæ adimplere, *Frustrà me colunt mandatus hominum*.

Itaque veteres S. Patres templorum extructionibus & ornamentis procurationem ac sustentationem pauperum semper præposuerunt. D. Hieronymus docet Demetriadem suam, vt alios sinat templa ædificare & ornare, aliud ei esse propositum, nempe Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, cibare in esurientibus, &c. Ad Ru. st Monach. laudat sanctum Exuperium Tholosæ Episcopum, qui & sua & Ecclesiæ suæ bona & ornamenta ad eò in pauperes erogauerat, vt corpus Domini in canistro vimineo, & sanguinem portaret in vitro. Eodem modo & Nepotianum suum docet, quando eum instituit ad sacerdotale munus ac vitam.

Aduersarij adducunt hoc loco aliquot authoritates Chrysofomi, idque ex tali libro, quem nec ipsi sine dubio Chrysofomi esse agnoscunt: Adhæc ipsa loca non integrè, sed deprauatè citant. Vbi enim liber iste vult ostendere, quando homines extruendo & ornando templa bonum faciant opus, ponit: Si aliàs etiam iustitiam Dei custodiunt, si de bonis eorum pauperes gaudeant, quod Aduersarij transtulerunt, si non obliuiscantur pauperum. Item cum introducunt eundem librum dicere, Si iuxta alia bona opera ædificia sancta fecerit homo, additamentum esse bonis operibus, omittunt id quod ad hanc sententiam continuò sequitur, Si quis ædificia sancta sine aliis bonis operibus faciat, esse ambitionem, & inanis gloriæ cupiditatem. Sic & illud omiserunt, quod inter locum priùs citatum & hunc interpositum est, & præcipuum caput huius doctrine est, quam liber iste hoc loco tradit, nempe istud. Si vis ædificare domum Dei, eroga pauperibus credentibus, vnde viuere possint, & rationalem domum extruxeris. In ædificiis enim habitant homines, ceterùm in sanctis hominibus habitat Deus. In eandem sententiam & verus Chrysofomus docet, suadendum esse iis hominibus, qui in templorum ædificia & ornamenta sumptus facere volunt, vt istas expensas potius in pauperes & egenos conuertant, Homil. 8. in Matthæum.

Quamobrem id verò? Seruiendum est Deo, non iuxta voluntatem ac placitum nostrum, sed iuxta mandata illius. Omnia autem mandata Dei complentur in demonstratione verè dilectionis erga proximum. Iam cum nemo inter homines ferat, si ministri eius non iuxta suum mandatum, sed iuxta propriam voluntatem ei ministrare & inservire vellent,



quomodo igitur æterna diuina maiestas, cuius mentem ac voluntatem nos homines ex nobis ipsis percipere & assequi nequimus, pro grato sibi cultu acceptare posset, quicquid nos volumus, & ex cæca nostra ratione, prauis cupiditatibus & affectibus instituiamus? ac postea diximus, nos talia in honorem & gloriam Dei facere? Veri autem Christiani citatis scripturis acquiescent, neque conabuntur Deum vel ex suo, vel aliorum consilio & instinctu colere, sed ex verbo & mandatis illius. Quæ quoniam omnia in præcepto de diligendo proximo summatim ac plenè tamen comprehensa sunt, in omnibus operibus suis iuxta verbum Dei videbunt, quid proximum maximè ædificare queat, præsertim in anima, ac deinde etiam in corpore. In eadem sententia fuit & antiqua Ecclesia, & S. Patres, quemadmodum ex adductis paulò ante locis perspicuè est.

Hactenus ad primam Accusationem Aduersariorum in hoc articulo, Nullum opus bonum Deo què gratum & acceptum esse iudicandù, quàm ea quæ sunt in decalogo præceptorum comprehensa, sunt quæ opera dilectionis charitatis Dei & proximi.

Pro accensione cereorum interdum citant Aduersarij D. Hieronymum, qui contra Vigilantium scripsit, Quicumque cereos accendant, secundum fidem suam habent mercedem dicente Apostolo, Vnusquisque in sensu suo abundet. Cæterum qui rectè in Deum respiciunt, ij citatione ista non perturbabuntur. Manifestum est quàm vehementibus & hyperbolicis locutionibus hic Doctor in controuersis & certaminibus soleat uti, præsertim verò contra Vigilantium. Verum inspiciat pius Christianis, qualis ista locutio sit, Quicumque cereos accendant, secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo, vnusquisque in sensu suo abundet. Apostolus voluit hoc dicto docere, *Nullius conscientiam in usu ciborum esse conturbandam.* Rom. 14. Non autem hoc voluit, ut vnusquisque in omnibus rebus, & in cultu Dei suo sensu abundaret: & quòd quæcunque quis faciat hac intentione, ut cultum Deo præstet, statim idcirco Deo grata & accepta esse oporteat, aut quòd Deus vnique pro tali opere sit mercedem daturus secundum fidem suam. Quòd si Hieronymus cogitasset, hanc suam locutionem in controuersia ac pugna prolatam pro doctrinali acceptum iri, ad supersticiosam illam cereorum accensionem defendendam, quæ tanto temporis spatio apud nos obrinuit, dubium non est, quin longè aliter, multoque cautiùs ac circumspectiùs ea de re fuisset locuturus.

Sed quare Aduersarij non potius altera verba adducunt, quæ Hieronymus eodem in loco ponit? Vbi enim ad Vigilantium reprehensionem, quod clara luce gentilium more lucernas in templis accenderent, respondet, agnoscit abusum esse, & scribit in hunc modum: Cereos non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc scilicet latio temperemus, & vigilemus ad lucem, &c. Et luminarium accensionem clara die assignat imperitiæ & simplicitati, & præpostero zelo secularium hominum & muliercularum.

At qui fit, ut Aduersarij non hæc quoque verba citarint? Quam grauem verò rationem cogentur Deo reddere, qui adeo omnes abusus,



quantumuis impij & superstitiosi sint, conantur defendere?

Quantum verò ad auctoritatem Hieronymi aliorumque Doctorum eiusdem defensionis, quod in rebus fidei, ac veri cultus diuini, respiciendum sit ad verbum Dei, propositum in S. literis, idque omnibus Doctoribus, quantumuis antiqui, sancti aut docti fuerint, aut adhuc sint esse anteponendum. Et hoc idem ad illud dictum Hieronymi de mercede Accensionis lucernarum in die responsum esto.

Præcipit Spiritus S. per D. Paulum, *ut omnia in Ecclesia ad adificationem pietatis fiant*, 1. Cor. 14. Contra hoc mandatum facit cereorum coram imaginibus & statuis accensio, estque ex sua ipsius natura, etiamsi ad idololatriam, non adhibeatur, opus quidem zeli sed non secundum scientiam, ut fatetur Hieronymus. Quare non est ex ea faciendum opus fidei, cui merces debeat à Domino. Quod verò Orientales Ecclesie, ut meminit Hieronymus, accensionem lucernarum clara die, in signum lætitiæ vel solennitatis, vel alterius cuiuspiam significationis gratia, vsurparunt, de eo, siquidem ad superstitionem ea non sunt abusa, neque pauperum sustentatio per eam omissa est, Liber Reformationis nullam controuersiam mouit.

#### Altera pars huius Accusationis.

*De peruersis ac præposteris conscientijs, facientibus peccatum, ubi nullum est, & contra.*

#### C A P. XIX.



ALTERA reprehensio huius articuli de bonis operibus est quod Liber ponat, nos affligere & torquere nos ipsos, & alios quoque falsis peccatis, qualia sunt superstitiosa vota, peregrinationes, specialia ieiunia, oris confessio, inutilis delectus ciborum, abstinentia ab iis rebus, quibus permittente Deo posset homo & deberet frequentius uti.

#### Responsio.

Hic locus habetur in articulo de vero & legitimo vsu legis diuinæ, qui legatur totus, & apparebit istorum hominum mendacium: ibi enim sic legitur, Quando autem à lege diuina declinamus, quemadmodum, proh dolor, longo tempore hætenus à nobis factum est, admodum exiguam de peccato notitiam habere possumus, arque ita affligimus & torquemus nos ipsos, & alios quoque falsis peccatis, qualia sunt superstitiosa vota, peregrinationes, specialia & intempestiua ieiunia, oris confessio, inutilis delectus ciborum, abstinentia ab iis rebus, quibus permittente Deo posset homo & deberet uti frequentius.

Sic habetur in Libro. At nunquid mundus eiusmodi peruersis hominibus scater, qui in omni infidelitate, immodestia & contra dilectionem proximi viuunt, & propterea vel parum admodum, vel nihil omnino in conscientia sua anguntur? Perseuerant enim in eiusmodi sceleribus ac flagitijs suis. Si verò superstitioso quodam voto contingat eos esse ob-